

§. 10. Ad studium pietatis referuntur etiam preces ar-  
dentes, ut, qui ad sacrum ministerium se digne preparare vo-  
lunt, Spiritum S. precibus devotis à Deo impetrent. Nam  
post lapsum natura cœci sumus in spiritualibus. *Eph. 4.18.*  
Requiritur ergo irradiatio superna & illuminatio, quæ non,  
nisi per preces, obtinetur. Dein qui recte ad ministeri-  
um sacrum se vult preparare, is inprimis operam dare debet,  
ut mature discat Scripturam Sacram salutariter intelligere. Hoc  
vero fieri non potest, nisi precibus feriis Spiritus sancti adsi-  
stentia impetretur. Contra, qui preces negligunt, ab illis  
Spiritus sanctus recedit, & omnis labor, omne studium frustra  
est. Elegans, quamvis brevis, est oratio Lutheri in Episto-  
la quadam ad Spalatinum: Domine Deus, si tibi placuerit  
per me aliquid fieri in gloriam tuam, concede mihi *misericor-  
dissimè* verum tuorum verborum intellectum. Idem hanc  
orationis formam præscribit studiosis Theologiæ: Da, Do-  
mine, ut rectè hæc intelligam, magis, ut & faciam. Ecce  
optime Domine JESU, si non est hoc studium in gloriam  
tuam, ne facias me syllabam intelligere. Da autem mihi,  
quantum tibi videtur ad gloriam tuam *in peccatore &c.*

§. 11. Quod denique sedulitatis studium attinet, scien-  
dum, non intelligi hic sedulitatem, qua quis sollicitè ad o-  
mnia tantum addiscenda se comparat, sed quâ omnia, quæ  
discit, ad gloriam Dei, ad incrementum probitatis & cha-  
ritatis diligenter referre studet. Sedulitas igitur in eo, qui  
ad studium Theologicum se accingit, & ad futurum mini-  
sterium sese preparat non debet esse (1.) ludicra, nec (2.)  
*nimia*, nec (3.) *vaga*. I. *non debet esse ludicra*: hac enim se-  
dulitate id tantum agitur, ut quæcunque ad Theologiam per-  
tinent, audiantur: ubi ad Auditorium properatur, tanquam  
ad theatrum, sive voluptatis causa, ut aures oratione demul-  
ceantur, sive solertia cavillandi, disputandi, discurrendi de

A 3 *omni-*